

CAP. XX.

METALLICA.

NITRAS ARGENTI: olim, CAUSTICUM
LUNARE.

R. Argenti purissimi in laminas extensi et cons-
cissi uncias quatuor,
Acidi Nitrosi diluti uncias octo,
Aquæ destillatæ uncias quatuor.

SOLVATUR Argentum in phiala, leni calore,
et vaporet solutio ad siccitatem. Tum massa
crucibulo amplo indita imponatur igni, qui pri-
mò lenis, sensim augeatur, donec massa fluat in-
star olei; dein effundatur in fistulas ferreas cale-
factas et sebo inunctas; denique in vase vitreo
optime clauso reponatur.

K 3

SULPHURETUM ANTIMONII PRÆPARATUM:
olim, ANTIMONIUM PRÆPARATUM.

SULPHURETUM ANTIMONII præparatur eodem
modo ac Carbonas Calcis.

OXIDUM ANTIMONII CUM SULPHURE VITRI-
FICATUM: olim, VITRUM ANTIMONII.

SULPHURETUM ANTIMONII in pulverem cras-
sum, arenæ instar, contritum, interne super vas
ficile, non vitreatum, parum profundum, ignem-
que supponē lenem, ut Sulphuretum Antimonii
lentè calefiat; pulverem interea assidue agitans,
ne in grumos coëat. Vapores albi, sulphur olen-
tes, ex eo orientur. Cùm hi, eodem calore de-
ficient, ignem auge aliquantum, ut iterum va-
pores exhalet; et sic perge, donec pulvis igne
tandem rubescens vapores non amplius exhalet.
Pulvis ille crucibulo inditus liquescat igne vio-
lento, donec virri liquefacti speciem induat; dein
effundatur super laminam æneam calefactam.

OXIDUM ANTIMONII VITRIFICATUM CUM CER-
RA: olim, VITRUM ANTIMONII CERATUM.

R. Cerae flavæ partem unam,
Oxidi Antimonii cum Sulphure vitrificati
partes octo.

CERÆ in vase ferreo liquefactæ injice Oxidum
in pulverem tritum, et torre, igne leni, per horæ
quadrantem, spathulâ assidue agitans; dein ef-
funde materiam, quæ frigefacta teratur in pulve-
rem.

OXIDUM ANTIMONII CUM PHOSPHATE CAL-
CIS: olim, PULVIS ANTIMONIALIS.

R. Sulphureti Antimonii in pulverem crassum
triti,
Cornu Cervi rasi, utriusque partes æquales.

Misce et injice ollæ ferreae latæ, igne rubenti,
et assidue agita, donec in materiam coloris cine-
rei urantur, quam ab igne aufer, et in pulverem
tere, et crucibulo loricato immitte; huic cruci-
bulum aliud inversum, cui parvum sit in fundo
foramen, luto conjunge, ignemque subministra,

quem ad calorem candentem sensim auge, et ita auctum serva per horas duas; denique materiam frigefactam in pulverem subtilissimum tere.

SULPHURETUM ANTIMONII PRÆCIPITATUM.

R. Aquæ Potassæ libras quatuor,
Aquæ libras tres,
Sulphureti Antimonii præparati libras duas.

Coque in olla ferrea operta, super ignem lenem, per horas tres, sæpe agitans spatulâ ferreâ, et addens Aquam prout opus fuerit. Liquorem calidum cola per linteum duplex, et colato adde Acidi Sulphurici diluti quantum satis sit ad deji-ciendum Sulphuretum, aquâ calidâ diligenter lavandum.

OXIDUM ANTIMONII CUM SULPHURE PER NITRATUM POTASSÆ: olim, CROCUS ANTIMONII.

R. Sulphureti Antimonii,
Nitratis Potassæ, utriusque pondera paria.

SEPARATIM trita, et bene commista injiciantur in crucibulum candens. Peractâ deflagratione, materia rubescens a crusta albicante separetur, et teratur in pulverem, qui sæpius lavetur aquâ calidâ, donec hæc insipida maneat.

MURIAS ANTIMONII

R. Oxidi Antimonii cum Sulphure per Nitratem Potassæ,
Acidi Sulphurici, utriusque libram unam,
Muriatis Sodæ exsiccati libras duas.

ACIDUM Sulphuricum retortæ infunde, paulatim addens Muriatem Sodæ et Oxidum Antimonii, prius commista; dein super arenam calidam fiat destillatio. Materia destillata per aliquot dies aëri pateat, ut liquescat; tum effundatur è fœcibus pars liquida.

TARTRIS ANTIMONII: olim, TARTARUS
EMETICUS.

R. Oxidi Antimonii cum Sulphure per Nitratem Potassæ partes tres,
Super-Tartritidis Potassæ partes quatuor,
Aquæ destillatæ partes triginta duas.

COQUE in vase vitreo per horæ quadrantem ;
per chartam cola ; et liquorem colatum sepone
ut formentur Crystalli.

VINUM TARTRITIS ANTIMONII : olim,
VINUM ANTIMONIALE.

R. Tartritis Antimonii grana viginti quatuor,
Vini albi Hispani libram unam.

MISCE, ut solvatur Tartris Antimonii.

AMMONIARETUM CUPRI : olim, CUPRUM
AMMONIACUM.

R. Sulphatis Cupri purissimi partes duas,
Carbonatis Ammoniaë partes tres.

DILIGENTER subige in mortario vitreo, donec,
finitâ omni effervescentiâ, placide coëant in mas-
sam violaceam, quæ chartâ bibulâ obvoluta, pri-
mo super lapidem cretaceum, dein leni calore ex-
siccata, in vase vitreo bene obturato servetur.

SOLUTIO SULPHATIS CUPRI COMPOSITA :
olim, AQUA STYPTICA.

R. Sulphatis Cupri,
----- Aluminæ, utriusque uncias tres,
Aquæ libras duas,
Acidi Sulphurici unciam unam cum semisse.

SULPHATES in Aqua coque ut solvantur, dein
liquori per chartam colato adde Acidum.

LIMATURA FERRI PURIFICATA.

IMPOSITO Limaturæ cribro, admoveatur Mag-
nes, ut trans cribrum Limatura sursum attraha-
tur.

CARBONAS FERRI PRÆPARATUS : olim, RUBI-
GO FERRI PRÆPARATA.

FERRI Limatura purificata sæpius Aquâ hu-
mectetur ut fatiscat in rubiginem, quæ in pollen-
teratur.

CARBONAS FERRI PRÆCIPITATUS.

R. Sulphatis Ferri uncias quatuor,
Carbonatis Sodæ uncias quinque,
Aquæ libras decem.

SOLVE Sulphatem Ferri in Aqua ; dein adde Carbonatem Sodæ prius ex Aquæ quantum satis sit solutum, et permisce.

LAVETUR Carbonas Ferri, qui fundum petit, aquâ tepidâ, et postea siccetur.

OXIDUM FERRI NIGRUM PURIFICATUM : olim,
SQUAMÆ FERRI PURIFICATÆ.

OXIDI Ferri Squamæ, ad fabrorum incudes reperiundæ, Magnete admoto purificantur. Magnes enim squamas tenuiores, puriores, tantum attrahit, relictis crassioribus minus puris.

SULPHAS FERRI: olim, VITRIOLUM VIRIDE.

R. Limaturæ Ferri purificatæ uncias sex,
Acidi Sulphurici uncias octo,

Aquæ libras duas cum semisse.

Misce, et peractâ effervescentiâ, digere aliquamdiu super arenam calidam; deinde liquorem effusum per chartam cola, et post idoneam exhalationem seponere ut Crystalli formentur.

SULPHAS FERRI EXSICCATUS.

R. Sulphatis Ferri quantum velis.

In vase fictili, non vitreato, calefiat igne modico donec albescat et siccissimus fiat.

OXIDUM FERRI RUBRUM.

SULPHAS Ferri exsiccatus urgeatur igne vehementi donec transierit in materiam ruberrimam.

TINCTURA MURIATIS FERRI.

R. Oxidi Ferri nigri purificati et in pulverem triti uncias tres,
Acidi Muriatici uncias circiter decem, vel quantum sufficiat ad solvendum pulverem.

L

DIGERE leni calore, et, soluto pulvere, adde

Alcoholis quantum sufficiat ut sint totius liquoris libræ duæ cum semisse.

MURIAS AMMONIÆ ET FERRI: olim, FLORES MARTIALES.

R. Oxidi Ferri rubri, loti, et iterum exsiccati,
Muriatis Ammonizæ, utriusque pondera paria.

BENE permista sublimentur.

HYDRARGYRUS PURIFICATUS.

R. Hydrargyri partes quatuor,
Limaturæ Ferri partem unam.

TERE simul, et destilla è vase ferreo.

ACETIS HYDRARGYRI.

R. Hydrargyri purificati uncias tres,
Acidi Nitrosi diluti uncias quatuor cum semisse, vel paullo plus quàm ad solvendum Hydrargyrum requiratur,

Acetitis Potassæ uncias tres,
Aquæ bullientis libras octo.

HYDRARGYRUM cum Acido Nitroso diluto misce, et sub finem effervescentiæ digere, si opus fuerit, leni calore, donec penitus solvatur Hydrargyrus. Tum solve Acetitim Potassæ in Aqua bulliente; et protinus huic solutioni adhuc fermenti alteram affunde, et utramque agitando permisce. Dein sepone ut Crystalli formentur. Has infundibulo inditas aquâ destillatâ frigidâ lava; et demum calore quàm lenissimo sicca.

IN parando Acetite Hydrargyri, oportet vasa omnia et infundibula, quæ adhibentur, sint vitrea.

MURIAS HYDRARGYRI: olim, MERCURIUS
SUBLIMATUS CORROSIVUS.

℞. Hydrargyri purificati libras duas,
Acidi Sulphurici libras duas cum semisse,
Muriatis Sodæ exsiccati libras quatuor.

HYDRARGYRUM cum Acido Sulphurico in vase vitreo coque super arenam, donec materia exsiccata fuerit. Materiam frigeffectam misce, vase vitreo, cum Muriate Sodæ; tum in cucurbita vi-

J. 2

treâ sublimâ, calore sensim aucto. Dein materiâ sublimatâ a scoriis separa.

SUB-MURIAS HYDRARGYRI: sive,
CALOMELAS.

R. Muriatis Hydrargyri in mortario vitreo triti
uncias quatuor,

Hydrargyri purificati uncias tres.

TERANTUR simul in mortario vitreo, cum pauxilla aqua ut ab acri pulvere præcaveatur, ad extinctionem Hydrargyri; pulvisque exsiccatus phialæ oblongæ, cujus tertiam tantum impleat partem, inditus, ex arena calida sublimetur. Sublimatione peractâ, confragtâque phialâ, pulvis rubens circa fundum et albicans circa collum ejus pariter rejiciendus est: massa verò reliqua denuo sublimetur, et in pulverem tenuissimum teratur, aquâ destillatâ fervente demum lavandum.

SUB-MURIAS HYDRARGYRI PRÆCIPITATUS.

R. Acidi Nitrosi diluti,
Hydrargyri purificati, utriusque uncias octo,

Muriatis Sodæ uncias quatuor cum semisse,
Aquæ bullientis libras octo.

HYDRARGYRUM cum Acido Nitroso diluto misce, et sub finem effervescentiæ digere leni calore, vase interea sæpius agitato. Opertet autem plus Hydrargyri admiscuisse Acido quàm hoc dissolvere possit, ut mistura penitus saturata tandem obtineatur.

SOLVE simul Muriatem Sodæ in Aqua bulliente; huic affunde alteram solutionem, adhuc calidam; et omnia celeriter permisce. Post subsidentiam, effunde Aquam salinam, et lava Submuriatem Hydrargyri, aquâ calidâ sæpius additâ, totiesque post subsidentiam effusâ, donec sapore careat.

OXIDUM HYDRARGYRI CINEREUM.

R. Hydrargyri purificati partes quatuor,
Acidi Nitrosi diluti partes quinque,
Aquæ destillatæ partes quindecim,
— Carbonatis Ammoniac quantum sufficiat.

SOLVE Hydrargyrum in Acido; adde paulatim

L 3

Aquam destillatam; tum affunde Aquæ Carbonatis Ammoniacæ quantum satis sit ad Oxidum Hydrargyri penitus deijciendum: quod dein aquâ purâ lavetur, et exsiccetur.

OXIDUM HYDRARGYRI RUBRUM per Acidum Nitricum: olim, MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

R. Hydrargyri purificati libram unam,
Acidi Nitrosi diluti, uncias sexdecim.

SOLVATUR Hydrargyrus, lentoque igne vaporet solutio in massam albam siccam, quæ in pulverem trita cucurbitæ vitreæ indatur, laminâ vitreâ densâ illius superficiei impositâ. Tum adaptato capitulo, et vase in arena posito, torreatur igne sensim aucto, donec in squamulas ruberrimas abeat.

SUB-SULPHAS HYDRARGYRI FLAVUS: olim,
TURPETHUM MINERALE.

R. Hydrargyri purificati uncias quatuor,
Acidi Sulphurici uncias sex.

INDANTUR cucurbitæ vitreæ, et coquantur ex

arena ad siccitatem. Materia alba, in fundo relicta, trita, conjiciatur in Aquam bullientem. Inde nascetur illico pulvis flavus, quem aquâ calidâ sæpius lavare oportet.

SULPHURETUM HYDRARGYRI NIGRUM: olim,
ÆTHIOPS MINERALIS.

R. Hydrargyri purificati,
Sulphuris sublimati, utriusque pondera æqualia.

TERANTUR simul in mortario vitreo, pistillo vitreo, donec globuli Hydrargyri visum penitus effugerint.

FIT quoque cum duplici Hydrargyro.

ACETIS PLUMBI: olim, SACCHARUM
SATURNI.

R. Oxidi Plumbi albi quantum velis.

INDE cucurbitæ, et affunde

Acidi Acetosi destillati decuplum.

STET mistum super arenam calidam donec Acidum dulcescat; hoc dein separetur; novumque toties affundatur donec dulcescere desinat. Tum liquor omnis defæcatus vaporet in vase vitreo ad spissitudinem mellis liquidioris, et in loco frigido seponatur, ut concrecant Crystalli, in umbra siccandæ. Liquor residuus denuo vaporet, ut novæ formentur Crystalli; totiesque iteretur vaporatio donec nullæ amplius concrecant.

CARBONAS ZINCI IMPURUS PRÆPARATUS: olim,
LAPIS CALAMINARIS PRÆPARATUS.

CARBONAS Zinci impurus, ab iis qui orichalcum conficiunt torrefactus, præparatur ut Carbonas Calcis.

OXIDUM ZINCI IMPURUM PRÆPARATUM:
olim, TUTIA PRÆPARATA.

PRÆPARATUR ut Carbonas Calcis.

OXIDUM ZINCI.

CRUCIBULUM amplum in furno prunis instructo ita collocetur ut hujus ostium versus paulo incli-

net, et, cùm illius fundus mediocriter canduerit, injiciatur Zinci frustulum pondere circiter unius drachmæ. Zincum brevi accendetur, et simul in floccos albos convertetur, qui subinde a metalli superficie spathulâ ferreâ retrahendi sunt, ut combustio ejus perfectius absolvatur; et tandem, cessante flammâ, Oxidum Zinci e crucibulo auferendum est. Alio Zinci frustulo tunc projecto, operatio iteretur, et, quoties opus fuerit, repetatur. Deinde Oxidum Zinci præparetur ut Carbonas Calcis.

SULPHAS ZINCI: olim, VITRIOLUM ALBUM.

R. Zinci in frustula discissi uncias tres,
Acidi Sulphurici uncias quinque,
Aquæ uncias viginti.

Misce, et peractâ effervescentiâ digere aliquamdiu super arenam calidam. Deinde liquorem effusum per chartam cola, et post idoneam exhalationem, sepone, ut Crystalli formentur.

SOLUTIO SULPHATIS ZINCI.

R. Sulphatis Zinci grana sexdecim,
Aquæ uncias octo,

Acidi Sulphurici diluti guttas sexdecim.

SOLVE Sulphatem Zinci in Aqua; dein, addito Acido, per chartam cola.

SOLUTIO ACETITIS ZINCI.

R. Sulphatis Zinci drachmam unam,
Aquæ destillatæ uncias decem.

SOLVE.

R. Acetitis Plumbi scrupulos quatuor,
Aquæ destillatæ uncias decem.

SOLVE.

MISCEANTUR solutiones; quiescant paulisper;
dein coletur liquor.